EPISTOLA
DIDACI DE OROPEGA
Lovanienſis Theologi

Ad Eximium D. Martinum Henricum de Swaen S. T. D.



E T

Eruditiſſimum D. Petrum Melis S. T. L.

Occaſione Congreſsûs eorum cum Ampliſſimo Domino

NICOLAO DU BOIS.

Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri Lovanii Decano Sacrarum Litterarum Profeſſore Primario Librorum Cenſore &c.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Wilhelmum Frieſſem 1691.

Domini Admodum Reverendi

Eximie ac Eruditissime.

Vix Lovanium subiverat, quam alibi typis mandaveram, *Confutatio libelli Anonymi cui titulus les Sentimens &c.: DE MONSEIGNEVR L'ARCHEVEQVE DE MALINES*, cum varios hic observavi animorum motus, ut in varias urbs hæc Sententias, & studia discinditur, aliis confutationi applaudentibus, ægrè ferentibus aliis, me non solâ calumniarum ab Illustrissimo capite depulsione contentum, etiam in Idumæam calceamentum extendisse, respondisse provocationi adversariorum, eorumque doctrinam cum Archiepiscopi placitis contulisse, breviter quidem, sed nimis accuratè. Quibusdam videbatur D. Antonius Arnaldus appulisse Lovanium: tanta erat Theologorum, novitatibus studentium ad domum N. concursatio, tam frequens conventus. Etiam Religiosus aliquis zelo (sed an secundum scientiam?) accensus mox ubi cum præcipuis factionis ducibus contulerat consilia, dicitur bibliopolam adortus sæva quæque mihi minatus, & in universum Jesuitarum ordinem debacchatus intemperantius, quàm ratio postularet, aut deceret sui instituti Religiosum; nullum enim calamo verbum exciderat, quo Virum hunc, vel ullum ejusdem Ordinis Theologum, aut doctrinam videri possem lacessivisse. Sed neque tanta mihi est cum Societate connexio, ut ipsa, & qui-

 dem

dem integra, luere deberet crimen, si quod esset à me in *Confutatione &c*: perpetratum. Minus tamen miror hominis istius peregrini,& ad promotionem fortè aspirantis impetus Gallicos, quam vestrum DD. Eximie, ac Eruditissime pridiè festi S. Laurentii cum Amplissimo D. Nicolao Du Bois Decano & Opusculi mei Censore congressum. Eorum, quos Rigoristas, & Jansenistas vocant, quamvis numquam probaverim Sententias, nec assequi satis etiamnum valeam, quî D.us Gery in Apologia prædicaverit D. Gummarum Huygens *Le plus doux, & le plus patient des hommes, suavissimum & patientissimum mortalium*, uti & elogium D. Francisci van Vianen ibid. Tamquam *Senis optimi, qui sit ipse candor & sinceritas, ce bon Vieillart, qui est la sincerité méme*; Mores tamen ad modestiam compositos, humanitatem præsertim vestram, & comitatem, præ Catonicâ, nec satis urbanâ quorumdam gravitate merito apud familiares encomio frequens celebravi. Nunc autem verbum nescio quod à me in *Confutatione* duriusculè positum, pristinæ vos humanitatis oblitos, ad iras tam graves concitasse intelligo, ut Censorem aggressi, multisque de injuriâ expostulantes, in meam, meorumque, si quos habeo, sociorum perniciem conjuraveritis. Prius nomen meum distinctiùs vobis exponi voluistis ab Amplissimo D. Censore, quod cum is extemplò præstare non posset, nec enim ipse eum pro Approbatione obtinendâ conveneram, tridui inducias petiit, quo elapso petitioni vestræ facturus esset satis. Verùm mox ubi te Eruditissime D. non tantum Sacerdotalis modestiæ, sed & Christianæ Charitatis limites transgressum, iis agi intem-

temperiis vidit, ut exclamares, *Si Iesuita libelli Auctor sit, perficiam ut Iesuitæ omnes eliminentur totâ Missione Hollandicâ*; Mutare consilium coactus est Amplissimus D. Quid enim ? miserumne me & privatum hominem furori exponet factionis tam malevolæ, & potentis, ut jactare audeat, tam confidenter se omnes Societatis Missionarios expulsuram ex Hollandiâ, si me Jesuitam esse deprehenderit ? Quid, si ex Ordine sim S. Francisci, aut alterius cujuscumque ? Eadem sors Ordinem istum manet, eadem calamitas. Quid si autem nulli Religiosæ familiæ adscriptus, tenui censu vitam ago inter sæculares Clericos humilem & obscuram nullo munitus amicorum, aut sociorum præsidio ? ubi terrarum tutus consistam, à tam potentium, & minas tam diras spirantium adversariorum insidiis ? Equidem styli vestri (quo nomine socios vestros hic compello) & linguæ acerbitatem numquam timui, nisi calumnias, quascumque adversus me aut malevolentia fingere, aut maledicendi procax libido posset effutire; at parentem meam jam grandævam, patruelem unicum, eumque pupillum, fratres pauperes odio vestro plusquam vatiniano objicere, quis duxerit consultum ? Quisquamne umquam in animum induxisset de viris tam modestis, tam humanis, tam blandis suspicari, odio eos arsuros tam implacabili, tam insolentem decreturos vindictam, quæ tot innocuos Sacerdotes, tot Apostolicos divini verbi præcones, alienæ salutis studiosissimos, divinæ gloriæ zelosissimos propagatores, unius vitio (si tamen vitio) reos faceret, & tot annorum laboribus excultâ statione expelleret. Nihilne amori fraterno tribuen-

 dum

dum duceres vir Eruditissime? nam tibi esse inter Jesuitas Fratrem intelligo. Hunc, credo, saltem Patriæ suæ, si forte ex moderatorum imperio Amstelodamum destinaretur, finibus non ejiceres. Fallor, si vel hunc exciperes, tanto in omnes Jesuitas propter unum Oropegam furore succensus. Sed quibus, amabo, artibus, quâ potestate tanti rem moliminis exequereris in Societatem? An auctoritate Pontificiâ? Quis enim Ecclesiastici Ordinis Princeps Pontifice inferior discessum imperet Jesuitis omnibus, jurisdictioni Pontificiæ immediatè subjectis? Nescio verò an factioni vestræ tantum delatura esset Apostolica Sedes, ut firmatam suâ auctoritate Societatis Missionem, solâ vestrâ postulatione aut accusatione revocaret. Si accusationem Societatis apud Christi Vicarium, instituere est animus, id quidem legitimum Religiosorum & quorumvis Ecc[illegible]siasticorum tribunal est, sed non tam remota est [illegible] Hollandia, quam Japonia, Indiæ, aut Chinæ, ut fa[illegible]è Romam deferri mendacia queant, quæ testimo[illegible]is luculentis non confutentur. Veritate autem fa-ctorum si certandum fuerit paullò graviores forte noxas in adversariis suis detegere poterunt Jesuitæ quam illi ulla veritatis specie Societati affingere. An doctrinam Missionariorum Jesuitarum perniciosam Sedi Apostolicæ exhibendam suscipitis? Probo consilium, si quæ ejusmodi dogmata occurrere. Verùm sunt & penes me quædam factionis vestræ documenta, circà quæ Sedis Apostolicæ judicium exquisivisse non fuerit inutile. Confido autem me, sive coram Summo Pontifice, si eo provocare libuerit, sive coram eruditis omnibus & universa

versa Christi Ecclesiâ demonstraturum plus esse suspecti & perniciosi sensûs in paucis vestris inter Lovanienses Novaturientibus Magistris, & eorum sequacibus quam in omnibus Societatis per Hollandiam Missionariis. Agite, si quidem ità visum fuerit, comparationem instituite, vestram inter & Missionariorum Jesuitarum doctrinam. Responsionem spondeo non minus promptam, accuratam, & evidentem, quàm dedi nuper ad comparationem Anonymi, dementis, & furibundi Jansenistæ inter doctrinam Illustrissimi Archiepiscopi & novatorum. Unum jure postulo, ut si fortè nimis manifestam vestrorum vulgò Rigoristarum cum Jansenio convenientiam, & quædam alia luci exposuero provocatus, æqui bonique consulatis hanc meam qualemcumque importunitate vestrâ extortam operam; nulli religioso Ordini propter me conflectur invidia, nulli fratrum meorum, aut Necessariorum intentetur exitium. Sed non existimo tantum vobis animorum, aut fatuæ præsumptionis futurum, ut coram Apostolicâ Sede expulsionem Jesuitarum è Missione Hollandicâ apertè urgeatis. Quonam igitur pacto, quo stratagemate, â quibus eam vos tam certò obtenturos speratis, imò novistis certissimè? In statibus scilicet Hollandiæ sceleratam hanc fiduciam posuistis: sed Potentissimi illi Ordines sapientiores sunt, & æquiores, quam ut paucorum odio, & æmulationi tantum tribuant, ut tot innoxios Sacerdotes ditione suâ exulare jubeant, contemptis precibus & lacrymis tot millium subditorum sibi Catholicorum, qui Societatis Patribus Confessariis usi sunt & directoribus, testariq; parati sunt & Sacramento, si opus fuerit,

confirmare, numquam se in iis quidpiam observasse, quod perfidiam aliquam redoleret, turbaret pacem, aut aliter reipublicæ incolumitati utilitatique adversaretur. Memini quidem audivisse me non ità pridem quibusdam provinciarum fœderatarum moderatoribus, suggestum fuisse, non expedire bono communi ut Religiosis Catholicorum cura permittatur, præstare ut illis omnibus ejectis, soli committatur Clero. Rationibus id suadebatur pseudo-politicis; sed quarum inanitas facilè detecta est, & oppositis argumentis confutata. Rationem unam cogor excipere; quòd nempè Religiosorum doctrina magis quàm passim istic Clericorum, à Reformatorum opinionibus sit remota, adeoque sperari ab Acatholicis possit, fore ut inter se & ejusmodi Clericos faciliùs & citiùs, quam inter se & Religiosos conveniat, saltem in materiâ de prædestinatione, morte Christi pro æternâ hominum salute, de gratiâ, & libertate. Quàm multorum nuper Clericorum nomina exprimebat poëma hæreticum, quo eos Reformati tamquam in paucis à se discrepantes, ad suam Ecclesiam ad suas Cathedras relictâ, ut aiebant, Romanâ Babylone invitabant. Spectabile inter cætera erat nomen cujusdam *de Zwaen*: Tu-umne illud eximie Domine? Si societatem vobis perdere certum est, nolite per Deum immortalem nolite tam fœdâ & Catholicis maximè Sacerdotibus indignâ machinatione, tanto fidei & Religionis detrimento, in viros Apostolicos, & Religiosos concitare Acatholicorum Potentiam. Quid excogitari queat scandalosius quàm quod à variis, iisque non vulgaris notæ Reformatis jactatum quandoque,

etiam nuper audivimus, Religiosis præsertim Jesuitis infensiores esse Clericos quosdam, avidiusque in eorum extirpationem incumbere, quam ipsos Reformatos & Prædicantes! At gravem nimium, nec orthodoxis tolerabilem calumniam intuli *Clericis per Hollandiam missionariis.* Majorem horum partem seu *plerosque Iansenistas* vocavi, Quo capite, qua pagina cap. ni fallar, sexto, Pag. 50 durior expressio est, nec satis honorifica Clero sæculari per Hollandiam dispersa. Verum locutione hâc capite isto non utor neque alibi; en verba ex loco citato, quæ tantopere vos offendunt, *Quis ullum eorum, qui se hodie traduci queruntur, velut de Iansenismo suspectos, fatentem audivit, propositiones V hæreticas esse in sensu Iansenii, ut eas damnavit Alexander VII. Adi, si placet Eximium D. Franciscum van Viane, interroga virum serio, num propositiones V in sensu Iansenii rectè damnaverit Alexander VII; interroga D. Gummarum Huygens, P. Gabrielis, DD. Ioannem Libertum Hennebel, Martinum Henricum de Swaen, Melis, Lacman, Kuypers, de Witte, van der Linde, Opstraete, adipleroſque in missione Hollandicâ ex universitate Lovaniensi Sacerdotes sæculares; adi, si vagabundi latibulum subodoratus, & non ipse es, D. Arnaldum, fallor si ab ullo verbum extorqueas, quo Pseudo-Augustini sententias in ejus sensu rectè proscriptas aut falsas profiteatur.* Hoccine est, plerosque missionis Hollandicæ Sacerdotes Clericos *Iansenistas vocare?* Non aliorum mentionem facio, quam eorum, qui ex *Universitate Lovaniensi* prodiere. Neque his omnibus atrum *Iansenistarum* nomen crudè objicio, tantùm ad *plerosque* impudentem Archiepiscopi calumniatorem remitto ad eos; non quos ego expresso vocabulo *IANSENIS-*

TAS voco, sed *qui se hodie traduci queruntur, velut de Jansenismo suspectos*. Mox quidem subjungo; *fallor si ab ullo verbum extorqueas, quo Pseudo-Augustini sententias in ejus sensu rectè proscriptas aut falsas profiteatur*; verùm si hoc vobis est Jansenistas dicere, quâ ratione me arguetis calumniæ? Ullusne vestrûm hactenus verbum protulisse compertus est, quo sibi Jansenii dogmata, saltem damnata displicere *profiteretur*? Memini quidem, aliquando intelligere me, non placere Eximio Domino de Swaen modum Palladii aliorumque similium nimis apertè Ecclesiam in condemnando Jansenii sensu erroris redarguentium, easdemque rursus sententias clarè adstruentium imprudentiam. Verum, quid juvat nimium sociorum suorum reprobare candorem, dum iisdem placitis, eidem sensui pertinaciter quis adhæreat? Pelagianorum alius negat gratiam Dei ad opera salutaria esse necessariam, damnat alius socii sui improvidam in loquendo sinceritatem, quapropter gratiam adstruit necessariam, sed ita ut sub specioso gratiæ vocabulo aliud non intelligat, quam legem atque doctrinam. Quæstionum Theologicarum non admodum peritus sit oportet, qui, nunc saltem, imponi sibi finat tam inani verborum fuco, & existimet sub orthodoxorum verborum cortice latere non posse sensum hæreticis maximè conformem? Ubinam, amabo, aut quando vestrum alteruter, aut ullus eorum, quos in *confutatione* refero, ullam umquam sententiam protulit à Jansenio alienam? Tantum à vobis hactenus exprimere non potuit toties iterata anti-Jansenianorum provocatio, & quæ mihi quidem videretur in-

sulta-

fultatio non ferenda: tantùm non potuit componendæ inter Theologos Belgas sub piæ recordationis Archi-Episcopo Alphonso spes concordiæ, tantùm non potuit Alexandri VII juramenti tam salutaris formulam decernentis auctoritas. Persistis vir Eximie in hac putridâ tuâ toties ab adversariis reprehensâ, toties tibi palam exprobata tergiversatione; *quis enim non videat periculum imminere non infundatum, si propositiones famosas damnarem in sensu ab auctore intento, ne hinc inferat aliquando* adversarius meus R. P. Isaacus de Bruyn Societatis JESU S. T. Professor *me non meam tantùm, sed etiam majorum meorum doctrinam imprudenter damnasse*? Tantam scilicet tu ipse censes tua tuorumque majorum inter-(addere potuisses & procul dubio voluisti, sub intelligi sociorum) & Jansenii pronuntiata consonantiam, ut proscribi nequeant Janseniana quin vestra pariter feriri videantur. Ideò tanta semper in loquendo & scribendo vobis circumspectione opus, ne verbo usquam indicetis, rectè damnatum esse Jansenii sensum; ne & vestrum eodem prostratum esse anathemate inferatur ab adversariis, & quidem invictè; cur enim alioquin ad *illationis* istius, quod ais *periculum non infundatum*, tantoperè exhorresceres? Non desunt vobis fuci & pigmenta Pseudo-Thomistica, non desunt Pseudo-Augustiniana, quibus & libertatem fingatis Augustino-Thomisticam; neque tamen specioso hoc pallio Augustino-Thomistico satis vos tutos arbitramini, si Janseniani sensus condemnatio sit legitima. An non eadem ratio Amicum vobis Libertum Hennebel, eadem Gummarum Huygens, eadem Franciscum van Via-

ne

ne, & cæteros earumdem partium Theologos movet, ut à Janſeniani ſenſus condemnatione, tam cautè abſtineant? Et ſanè quomodo ejus deteſter Concluſiones qui principia, ex quibus profluunt, nolo dimittere; neque ullum quoad ſubſtantiam inter mea ejuſque aſſerta diſcrimen deprehendo? Non deſunt quidem Lovanii Doctores & Profeſſores, qui Janſenio bellum indicunt; ſed quàm raros hi ſuis in lectionibus numerent auditores, quàm frequens verò ad Huygenianas ſeu Vianæas ſit undique concurſus, norunt omnes, qui Scholas Lovanii Academicas perluſtrarunt. Jam verò DD. Eximie atque eruditiſſime curam vobis commiſſam agnoſcitis, deſtinandi in Hollandiam miſſionarios, quos hæc ſolet ſuppeditare univerſitas. Ecquoſnam plerumque deligitis? Sectatoreſne DD. Steyart, du Bois, &c. Anti-Janſeniſtarum, an potiùs Huygenianos & Vianæos. Hos vobis chariores eſſe, hos commendatiſſimos, ne ipſi quidem volueritis inficiari, & ſciunt omnes rerum Lovanienſium non admodum imperiti. Quis igitur dubitet, quin plerique in miſſione Hollandica ex Univerſitate Lovanienſi Sacerdotes ſæculares iis ſint imbuti principiis, quæ ex Huygenianis & Vianæis lectionibus hausêre? Eaſdem ſententias tradiderunt, qui à tempore Janſenii ut præcipua hujus Univerſitatis columina à veſtrarum partium Academicis celebrari ſolent Calenus, Fromondus, Sinnichius, Pontanus, van Werm &c. Simne igitur temerarius, ſi ſuſpicer; pleroſque in miſſione Hollandica ex Univerſitate Lovanienſi Sacerdotes ſæculares non facilè verbo aut ſcripto ſignificaturos, averſari ſe ſenſum Janſenii? Hunc ab

Antonio Richardo olim debellatum fuisse dixerat aliquandò antè Doctoratum D. Martin nunc in Seminario Mechliniensi S. T. Professor. Crimen illud visum fuit seditiosis Baccalaureis, iisque Huygenianis, quod auctorem Doctorali laureâ redderet indignum. Quidquid denique sive in familiari sermone, sive in scholis, sive pro concione commemorant, quidquid Catechismis & Libellis quotidie novis infarciunt de libertate, de gratia, de prædestinatione, de morte Christi pro æterna hominum salute, conforme prorsus est Doctrinæ Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis. Hæccine probari à me vultis distinctiùs prolatis eorum verbis ex Thesibus, ex Libellis, ex Concionibus, &c. Dabo profectò probationes magis luculentas, quàm expetitis. Quare hanc Epistolam nonnisi ut prodromam accipite, aut velitarem, si tamen (id mihi sanctè testatum oportuit) hanc meam operam vobis, vestrisque sociis alumnis & missionariis non ingratam fore rescripseritis, & ab amicorum meorum persecutione abstinendum.

Graviusne ferit, quod in confutatione Pag. o in superiorem rationem inquirens dicebam: *in famosum Iansenii volumen* Doctores, & Theologi isti *numquam scrutati sunt, qui ejus sententias iam avidè sectantur, iisdem fulciunt argumentis, iisdem sententiis Augustini, eodem sensu intellectis? Nulla istorum Theologorum Bibliotheca tam pretioso, tam nobili monumento destituta est, &c.* Hìc scilicet *plerosque* in missione Hollandica ex Universitate Lovaniensi Sacerdotes sæculares, vocavero *IANSENISTAS.* Equidem Jansenistas eos esse inficiari nequeo, ut velim maximè, adeò mihi vim

vim infero, ut vel de adversariis meis sentiam quàm optimè. Rationes, quæ impediunt, ne eos Jansenismi suspicione liberem, jam indicavi, daturus longè plures & clariores, ubi adversariis visum fuerit postulare. At nihilne discriminis est Jansenistam inter, & eum, qui Jansenii sectatur placita? Mihi quidem discrimen excogitare animus non est, nec enim partium vestrarum Theologos à Jansenismo strictè dicto excusare cupio, aut valeo. Agnoscunt tamen alii, inter quos forte Amplissimus D. Du Bois, qui, cum dixi Theologos illos *sectari avidè Iansenii sententias*, non intellexerit id de sententiis Jansenii prorsus omnibus. Sic nuper Cornelius à Cranebergh ostendit quinque Articulos primùm Alexandro VII dein Alexandro VIII à Pseudo-Augustini discipulis oblatos nullâ prorsus sui parte, quoad substantiam discrepare à dogmatibus Jansenii; nihilominus non omnes articulorum vindices Jansenistas esse, seu hæresi Janseniana afflatos professus est non semel, ac præsertim in præfatione, ubi Thomistas, & nominatim Gonetum ab hæresios suspicione prædicat immunes. Non omne scilicet, quod Jansenius tradit, est hæreticum, ut ipsi toties adversariis vestris oggeritis, quoties vos Jansenio consentire vociferantur: *Ità docuit Iansenius; ergo malum est, & hæreticum.* Vocare id soletis, & meritò (si tamen ita contra vos Theologi Anti-Janseniani argumentantur) *Sophisma*, & *nocturnos lemures* terrendis pueris, quam viris aptiores. Sic inter Augustini, saltem Iprensis, discipulos non infimus, notissimus autem vobis, & percharus Palladius, suo, & suorum nomine profitetur, distinguendum esse

inter

inter eum, qui Jansenio consentit, & vulgo dictum Jansenistam: Hic enim, inquit, vulgò creditur homo exoticus, nec sanæ fidei. At si Jansenii, ejusque Doctrinæ defensores Jansenistarum nomine intellexeris, eo gloriari fatetur suæ sectæ Theologos, vos procul dubio collocans inter primos. *Si locutionis*, inquit in prosecutione Criseos Pag. 20, *fixarumque mentibus idearum imperium teneret Theologus* Martinus Steyaert *nomenclationi ejus, atque descriptioni actutum accederemus*, Jansenistarum nomen sponte amplecteremur: *Nam eo dumtaxat, quo describit pacto Iansenistas vocari, magno duceremus honori. Quid enim generosius in hoc genere, quam eniti ut Iansenium primi ordinis Sacerdotem, scripturarum nostrarum elegantem explanatorem, hæreticorum, dum vita fuit, expugnatorem egregium, Belgii nostri Episcopum, Academiæ Lovaniensis Doctorem, virum ingenio acerrimum, judicio maturissimum, moribus integerrimum, omni litteraturâ expolitum, in perfecta erga Matrem suam Ecclesiam, atque Sedem Apostolicam submissione, ac reverentiâ vitâ functum, detersâ omni hæreticæ pravitatis labe, Ecclesiæ Catholicæ Vindicemus? . . . . . Efficiat ergo (amabimus) eximiâ, qua valet, auctoritate, & Confæderatarum phalangum societate Theologus noster Steyartius, ut ea, quam describit, Iansenistæ idea, ab universis maculis suis, &, ut Philosophi ajunt, connotatis purgata, apud summos, infimosque per orbem Christianum obtineat*, ut scilicet, juxtà definitionem Steyartii in Theoriæ expurgatæ parte alterâ, Pag. 15. *IANSENISTÆ NOMEN* à Jansenio, *QVIS ACCIPIAT, QVI ILLIVS DOCTRINAM TVETVR, AC PROFITETVR.*

Porrò, inquit fortissimus idem vester athleta

Pal-

Palladius, *antequàm id perfecerit, & quamdiu exoticum hominem, nec sanæ fidei, ut usus habet, personabit vox ista, ... illam ut contumeliosam, ac maledicam aversamur.* Atqui Jansenistarum nomen non intorsi plerisque vestris Missionariis; sed tantum eos Jansenii sententiis imbutos esse indicare visus sum, & reverà censeo. Quid autem hic à veritate alienum? quid Novis Augustini Discipulis, ipso teste Palladio, non honorificum? *Nam*, inquit, *eo dumtaxat quo D^nus Steyart describit pacto Jansenistas haberi, & esse, magno duceremus honori.* Quoties Palladium, aut alium quemcumque Jansenistam scribo, eo me præstare id sensu profiteor: quamvis & sensus alius, quem ut contumeliosum, & maledicum Palladius aversatur, Palladio in primis, me quidem judice, conveniat. Non omnes autem Jansenii sectatores *homines exoticos* credo; *Sanæ eos fidei* esse, judicare non possum, nec sub anathematis pœnâ pronuntiare. Horum omnium probationes prolixiores, ubi vobis gratas fore Epistolâ, quam exspecto, responsoriâ ostenderitis, publici juris faciam. Sic nempe vestro, sic sociorum, sic Missionariorum vestrorum famæ consulitis.

Unum vobis perquàm facile est efficere ut falsâ quâdam, non tamen imprudenti, opinione delusus fuerim, cùm scripsi: *Fallor si ab ullo verbum extorqueas, quo Pseudo Augustini Sententias in ejus sensu rectè proscriptas, aut falsas profiteatur.* Quid enim facilius quam Janseniano sensui deinceps nuntium remittere, scripto publicè declarare quod subscribatis formulæ Alexandri VII, quâ Propositiones quinque ex Augustino Cornelii Jansenii excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento damnatas testatur; & eodem sensu

ut hæreticas haberi jubet? ô quàm exopto vehementer, ut hic me non vera suspicatum gloriosâ fidei professione comprobetis! Sed rursus fateor magis timere me, ut id præstetis aliquando, quod tam præfractè hactenus recusastis. Non mihi quidem, non Cranebergio, non aliis quibuscumque privatis Theologis tantum putatis tribuendum, at date illud famæ vestræ: date paci publicæ, ædificationi Ecclesiæ, saluti animarum, quæ vestro præsidio multum promoveri poterit, exemptâ omnium mentibus, quæ jam pridem altas radices egerat, Jansenismi suspicione.

Opportunè Româ transmissam accipio faciniam ex Tom: 3: Eminentissimi Cardinalis de Aguirre, quem Romæ edidit anno superiore 1690: Prolegomeno quinto; Postquam varia de quinque nuper Alex: VIII oblatis articulis retulerat judicia, suum suspendendum duxit, maximè ob reverentiam quorumdam Thomistarum iis faventium, acceptis videlicet sensu Thomistico, non Arnaldico, & Jansaniano, quem etiam articulis subesse Cranebergius invictè demonstrat: pergit Eminentissimus loco citato: „Certè mens Pontificum Innocen„tii, atque Alexandri alienissima fuit ab inu„rendo notam aliquam clarissimæ Thomista„rum Scholæ, quæ hactenus in doctrinis suis „circa prædestinationem, Gratiam, & liberum „arbitrium, integra labijsque pura inventa est, „quæque præterea apertè rejicit, & impugnat „quinque illas Theses excerptas è libris Janse„nii *Iuxtà sensum ab auctore intentum* uti Alexan„der VII rejiciendas docuit, & sanxit.

„Hoc ultimum si fecissent Anonymi illi, qui

„prædictos articulos nuper recudendos cura-
„runt, longè amplius obedientes se ostenderent
„erga Apostolicam Sedem in suis definitioni-
„bus circa quaslibet fidei, & morum Contro-
„versias nulli errori obnoxiam. Melius quoque
„conscientiæ suæ, melius famæ, & paci, ac fra-
„ternæ concordiæ cum omnibus aliis Catholi-
„cis Theologis quarumlibet Scholarum consu-
„lerent. Tribuerent etiam nobis Amplissimam
„gaudii materiam, quantam olim doloris non-
„nulli Lovaniensium, dum proferrent & publi-
„cè ederent, & post constitutiones Innocentii
„& Alexandri Pontificum, imò & post condi-
„tos eos V Articulos an. 1663 Theses quasdam
„satis difficiles, ut mitissimè loquar, & quas
„multi nesciunt discernere à damnatis in Jan-
„senio. Illarum specimen exhibeo in variis di-
„sputationibus hujus Tomi, sicuti & præmisi
„septennio antè in defensione Cathedræ S. Pe-
„tri disp. 1. 18. 19. & 20.

„At enim neque ii qui modo recudunt arti-
„culos ipsos, execrantur in iis V. illas Theses à
„Pontificibus fulguritas in Iansenio, *juxta sensum
„ab auctore intentum*; solùm enim generatim
„ajunt se ex animo semper damnasse, & dam-
„nare, *quoscumque in famosis Propositionibus errores
„damnarunt & Innoc. X, & Alex: VII quocumque
„tandem in libro & à quocumque auctore asseri repe-
„riantur, atque defensi*. Non dicunt se damnare
„illas Propositiones, sed errores in iis damnatos
„à Pontificibus; quasi illæ aliquid prætereà
„contineant non erroneum; nec fatentur se
„illas damnare contentas in libro Iansenii, *aut
juxtà sensum ab illo intentum*, prout Alex: VII Pa-
„pa severè præscripsit: sed solum generatim
ajunt

„ajunt se illos errores damnare, & damnasse
„*quocumque tandem in libro, & a quocumque scriptore*
„*transferri reperiantur, atque defensi.*

„Quis vobis scrupulus fuit, quæ causa, ô Theologi! ne palam, & absque omni ambage aut circuitu verborum, fateremini, vos execrari eas 5. Theses in libro Iansenii notatas *juxta sensum ab auctore intentum*? hoc brevius, securius, laudabilius potuissetis exprimere, cum ingenti plausu, & gaudio quorumlibet aliorum Theologorum cujuscumque Scholæ, & Instituti, qui palam ita loquuntur, nec religioni ducunt eam formulam usurpare, imò & lævum aliquid timendo iis qui detrectant, ne fortè non ex animi sententia, hec omnino sincere rejiciant Theses illas tam diu, tam maturè, tam meditatè & toties damnatas ab Apostolica Sede.

„Id præterea manifestum est, Theses easdem in Iansenii opere extare, quidquid alii contradixerint; ut palam ostendo in hoc volumine exscriptis illius verbis κατὰ πόδας præsertim disp. 133 & duabus sequentibus. Constat insuper damnatas eas fuisse ab Apostolica Sede non juxta sensum aliquem fictitium, vel imaginarium (quid enim magis indignum de illa post tam diuturnum & accuratum examen multorum annorum dici posset?) sed juxta literalem, obvium, germanum, ac proprium, qui plane fuit sensus Cornelii Iansenii palam ubique loquentis. Eadem Sedes hoc ipsum aperte sub religione juramenti profitendum Academiæ celeberrimæ Lovaniensi præscripsit, & singulis ejus Alumnis, quoties gradu aliquo literario insigniri volunt. Iuramentum id, ut audio, ab omnibus emittitur solemni

„met Innocentius per plures dies eorumdem Theologo„rum qualificatorum sententias maxima cum patientia „audivit, & coram se, Cardinalibus inquisitoribus & „Theologis qualificatoribus quemdam Abbatem de la „Lane, aliosque Doctrinæ Jansenianæ fautores admisit. „Votaque Theologorum qualificatorum in scriptis reda„cta magno studio & diligentiâ perscrutatus fuit, aliis„que Eruditiss. viris in Consilium adhibitis, ac indi„ctis per Ecclesias urbis supplicationibus tandem in per „vigilio Pentecostes ad condemnationem prædictarum V „propositionum devenit, afflante equidem Spiritu san„cto cujus assistentia in hoc gravissimo negotio semper „evidentissimè apparuit. Eant nunc quicumque „aliter sentiunt aut loquuntur vel scripturiunt „de examine, discussione, & consultationibus „præparatoriis ad eam definitionem edendam, „quâ nullam diutius aut attentius Roma medi„tata fuit.” Hactenus Cardinalis de Aguirre.

Si ne tantæ quidem Auctoritati vobis decretum est cedere, frustra deinceps querelas jactabitis adversus conceptam de vobis Jansenismi suspicionem. Si verò Jansenianum sensum abdicaveritis, opinionem meam de fide vestrâ fortè non satis æquam lubentissimè ac promptissimè retractaturum me & publicè hisce testatum volo Lovanii die 20 Augusti 1691.

Domini Admodum Reverendi

Eximie atque Erudissime

Humillimus vester & obsequentissimus Famulus,

Didacus de Oropega.

Post

Post Scriptum.

AUdio te Eximie D. Henrice adiisse lexicon Græcum, atque illic quidem deprehendisse quod ὄρος montem significet, cætera non assequi. Gaudeo te hac occasione tantum Græci didicisse, quod ignorabas. Quid ni quæsivisti ὠρέω contractum ὠρῶ? Si & Hispana *Lexica* consuluisses, ad quæ prænomen meum *Didacus* videbatur te manu ducere, lucis forte aliquid Hispanicum nomen *Oro* uti & *Pega* affudisset. Ne tamen deinceps frustrà te fatiges nomen meum quærendo in dictionariis, scire te velim, Nomen *Didaci* mihi in Baptismo datum, Nomen Oropega à majoribus obtigisse. Vin' plura? Philosophiæ operam dedi Lovanii, Theologiæ variis in Academiis, etiam in Lovaniensi, inter Oratorii Presbyteros educatus, &c. At iterum rogo, ne me meosque malè perdat tuus ille iratus nimium & minax socius.

Jam me accedit civis Lovaniensis vir honestus nuntians factionem vestram horrendum aliquid moliri, conventus non intermitti, omnia fervere. Quid tandem hæc monstri seu vindictæ paritura sunt? Monent quoque amici ut tantisper me Lovanio subducam; Obtempero; atque cum Familiæ meæ parte aliqua, & tenui supellectile secedo ex Hispanica ditione: quis enim tanto furori, & potentiæ resistat? ubicumque verò tandem delituero curabo ut scripta ad me vestra deferantur; nec ero in respondendo parcior. Valete.

F I N I S.

